



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Supplementband und Schluß des ganzen Werkes bis auf die Register

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1865

XVII. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt die Brüderschaft für
vertriebene Priester in der Berlinischen Präpositur, am 17. März 1344.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55834)

XVII. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt die Bruderschaft für vertriebene Priester in der Berlinischen Präpositur, am 17. März 1344.

Ludowicus, dei gratia Brandenb. Ecclesie Episcopus, Vniuersis christifidelibus tam presentibus quam posteris, presencium tenorem inspecturis, salutem in Domino. Prima Johannis tercio sic scriptum est: qui habuerit superbiam huius mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauerit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo, et rursum: Filioli, diligamus non tantum verbo neque lingua sed opere et veritate. Cum igitur plerique sacerdotes exules atque debiles, mundalis substantie, hospitorumque inopes, omni pene solatio humano destitudo intra Civitates Berlyn et Kölln hinc inde in cymiteriis fuerunt expositi, propter necessariorum carenciam omnimodam ibidem crebro fame, siti et frigore sic sunt afflicti, quod tandem vili sunt defecisse et extunc tenuibus exequiis, tanquam non fuissent uncti salutis crismate, sine omni sollempnitate sunt defuncti; quod quidam Sacerdotes dictarum Civitatum confratres moti misericordia super tales, volentes revera in antea talium misereri conditionem, et modo quo meliori poterunt, ipsis tam in vita, quam in morte suffragari et studium humanitatis imponere, quandam fraternitatis unionem sub certis constitutionibus, eis ad consummationem ejus competentibus ediderunt, quam interpretati sunt fraternitatem exulum Sacerdotum Prepositure Berlinensis; Vnde nos humiliter ab eisdem requisiti, et de hoc rogati, verum etiam piarum affectionum suarum ac devocionis sue vota pensantes, nostrum consensum pleniter huic adhibuimus et decrevimus confirmandam, et presentibus eam, cum suis constitutionibus, per nos approbatis, ipsis perpetuo confirmamus in his scriptis. Et quia in multitudine non ordinata ad invicem frequenter confusiones et schismata succrescunt, cupientes huic obviare, et nomine Dei concessimus, et presentibus concedimus Decano eorum, qui pro tempore fuerit, plenam potestatem, omnes excessus et errores suorum confratrum, assumptis sibi quinque viris boni testimonii ejusdem, quos omni anno ad hoc elegerunt, corrigendi et puniendi, imo etiam discordes, protervos ac rebelles, si qui, quod ab sit, emerferint seu surrexerint, qui post trinam monitionem ipsis canonice factam, se emendare contempserint, procul a Consortio repellendi. Ut autem Divini cultus obsequia, que ipsi in vigiliis, lectura psalterii, missis et aliis quibuslibet defunctorum devotis memoriis facere disposuerint, memorati fratres devotione ferventiori se exerceant, et a fidei plebe devotius et per amplius frequententur, de omnipotentis Dei misericordia, omnibus, tam fratribus sepe tactis, quam aliis a dicta fraternitate alienis, vere penitentibus, confessis et contritis, qui dum hec peraguntur presentialiter adsunt vel asistunt, et Deo pro omnibus fidelibus defunctis orationes fundunt, de injunctis sibi penitentiis, quadraginta dies feliciter in Domino relaxamus. Et ne hec devota institutio evacuetur, aut ad interitum vergat, presentes litteras, de gratie nostre libertate ipsis dari mandavimus, nostri sigilli munimine roboratas. Datum Brandenburgi, anno Domini M^o. CCC^o. XL^o. quarto, feria quarta post dominicam quando cantatur letare.

Aus den Bestätigungsbriefen von 1362 u. 1375. Orig. im Berliner Stadtarchive No. 477.